





~~Ph.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-27*  
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

*St. Mikkel. alced*



DISPUTATIO PRIMA  
DE TURCA, EX CAPITULO

36

TE 38. & 39. EZECHIELIS, IN QUAE  
explicantur quæstiones tres.

I. Quid sibi velint ignota vocabula Gog, Magog, Thubal,  
Mesech,

II. Quod per Gog & Magog significantur Turcæ,

III. Quod Turcæ sint flagellum, quo Deus castigat Ecclesiam.

De quibus præside

SALOMONE GESNERO, S. THEOLOGIAE D. & Professore in Academia VVitebergensi ad V. septembris hora septima matutina, Anno 1595. loco publicis disputationibus usitato respondebit.

M. HERMANNUS WOLFIVS  
Lubecensis.



WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri.  
Ano M. D. XCVI.



QVÆSTIO I. DE ETYMOLOGIA NO-  
minum Gog, Magog, Mesech, Thubal,  
Thesis I.



Vm Turcicus Tyrannus Anno Christi 1529. Budam Vn-  
gariæ, Metropolim cœpisset, & Viennam Austriæ caput  
(unde tamen singulari Dei auxilio depulsus est) obsedis-  
set, D. Lutherus anno sequente 1530. duo capita Prophe-  
tæ Ezechielis 38. & 39, ex hebræa lingua in Germanicam à se versa  
publicavit, addita pulcerrima præfatione, nec non ad Alcorani refu-  
tationem, à Richardo quodam scriptam in patrium Idioma transtu-  
lit, quibus scriptis Christianos simul ad poenitentiam hortari, & con-  
tra Mahumeranas blasphemias & furores salutari doctrina ac conso-  
latione munire voluit Tom. 2. VViteberg. germ.

2. Quod si nostra hæc tempora aspiciamus, haud multum sunt illis  
dissimilia, si non pejora, certe non meliora. Itaq; nos easdem ob cau-  
sas brevem illius prophetæ analysin hac præsentè disputatione con-  
texemus.

3. Principio autem sese offerunt peregrina illa nomina Gogi & Ma-  
gogi, Mesech & Thubal, quæ explicanda sunt.

4. Ac omnes quidem hebrææ linguæ periti in eo consentiunt, quod  
Gog significet tectum, idemq; sit nomen Magog, quod ab illo propo-  
sita litera Heemantica, nominum apud hebræos caractere, distet, vel  
etiam quod litera Mem sit ex præpositione Min, quo sensu Gog no-  
tabit tectum, & Magog eum, qui est de tecto, vel incolam tecti, sic

*Nomades.* ut Scythas Nomadas tuguriola sua plaustris imposita secum circum-

*Scenite* nibus inhiare solitos, indeq; Scenitas & Hamaxobios seu Hamaxo-  
*Hamaxo-* bitas græcè, Magogas syriace appellatos fuisse, autores sunt plurimi,  
*bitæ.* inter hos Herodor. lib. 4. & Pompon. Mela de situ orbis lib. 2. cap. 1.

5. Mahumerem verò à Scenitis per Arabiam & Asiam passim palan-  
tibus captum, & priusquam Abdimonepli ditissimo Ismaeliticæ gen-  
ris mercatori venderetur, ad prædandi consuetudinem educatum esse  
scriptum reliquerunt Georgius Cedrenus, Laonicus Chalcocondy-  
les, Coelius Aug. lib. 1. Sarr. hist. & alij.

6. Quod autem hic & in Apoc. cap. 20. appellatio Gog communis  
non sit, sed proprium nomen & quidem gentis, id ex prophetia cla-  
rissimum est.

7. Licet



7. Licet alibi in universa scriptura non extet, præterquam lib. 1. Paral. 5, ubi Rubenitæ cuidam inditum fuisse legitur, quod tamen ad rem præsentem nihil facit. Hic enim Gog aperte extra populum Israeliticum collocatur, eiq; religione, regione, odio, persecutione opponitur. In capite autem Num. 24, perpetam pro Agago legit Gogum Eusebius.

8. Magogi eadem est significatio, idemq; nomen, unde Gog, ut censet Lutherus, per aphæreïn decurteretur, quod in proprijs nominibus alioquin usitatum est. *Magog.*

9. Mesech à verbo masach descendit & populum longe lateq; diffusum denotat, quod Scythis Nomadibus convenit. Herodot. lib. 4. Plinius lib. 6. cap. 17. Georg. Cedrenus. *Mesech.*

10. Thubal à Thebel deducitur, quod terrarum orbem significat, & consentit cum præcedente appellatione, eo quod utrumque vocabulum potentiam populi istius vagabundi innuit. *Thubal.*

11. Quamvis Thubal etiam ab immani libidine & belluina lascivia nomen trahere possit, Nam per vocem Thebel incestus notatur Levit. 18 & 20. Quæ Etymologia in gené barbaricam & sodomiticis sceleribus ac incestuosis commixtionibus deditam apprimè quadrat.

12. Magogi Mesechi & Thubalis nomina nepotib; Patriarcha Noëh ex Iapeto tribuuntur Gen. 10. 1. Par. 1, unde liquet ex Iapeti profapia hanc gentem esse prognatam, id quod etiam in Chronico Turcarum, quod annexum Alcorano, & à fratre Richardo cap. 7. & 13. statuitur. A Iapheto enim Turcæ originem suam deducunt.

### Quæstio II, quis sit Gog & Magog?

13. Post nominum qualemcumq; explicationem, proximum est videre, cui populo hæ appellationes convenient; ubi quidem diversæ sese offerunt sententiæ.

14. Nam Hieronym. lib. 11. super Ezechielem in caput Ezech. 38. *Allegorica explicatio Prophe-* totam prophetiam allegorice explicat de lucta Spiritus cum carne, de qua Paulus Rom. 7. & censet Diabolum, carnem, hæreses & mundi illecebras, omnes deniq; hostes Ecclesiæ tam corporales quã spirituales Gogi & Magogi, Thubalis, & Mesechi appellatione venire, quæ oppugnant quidem Hierosolymam, hoc est, arcem mentis renatæ, sed munitam auxilio Spiritus sancti expugnare non valeant, ipsique tandem victi procumbant. *tia.*

15. Hæc sunt verba ejus, Princeps & caput superbientis amentia & omnium



omnium malorum, (juxta illud, quod scriptum est, mundus in malo  
posito est, 1. Ioh. 5.) Gog & Magog appellantur. Quæ gentes  
inimicæ adversariæq; Sanctorum egrediuntur ab angulis terræ, rectam  
lineam relinquentes. Et paulo ante: Gog græco sermone δόμα, lati-  
no rectum dicitur: porro Magog interpretatur de recto. Omnis igitur  
superbia & falsi nominis scientia, quæ erigit se contra notitiam  
veritatis his nominibus demonstratur, rectumq; interpretabimur hæ-  
reticorum Principes, & de recto eos, qui illorum suscepere doctrinas,  
Hæc ille, quod etiam Petrus Galatinus approbat.

16. Sed quod alibi facimus id potissimum in vaticinijs quoque ob-  
servandum est, ut regulæ Theodoretæ in illorum explicatione paream-  
us, quæ sic habet: δὲ σὲς γὰρ τὰ γεγραμμένα, debemus ea, quæ scri-  
pta sunt, ita ut scripta sunt amplecti, nisi fidei analogia & absurditas  
verè Theologica nos ad διόνοιον quærendâ compellat. Theod. quæst.  
Genes. 39.

17. Neq; nos movet, quod Hieronymus loco indicato scribit: Iu-  
dæi & nostri Judaizantes putant Gog gentes esse Scythicas immanes  
& innumerabiles, quæ trans Caucasum montem & Mæotidem palu-  
dem & prope Caspium mare ad Indiam usq; tenduntur, & has post  
mille annorum regnum esse à Diabolo commovendas, quæ veniant  
in terram Israel, ut pugnent contra Sanctos, multis secum gentibus  
congregatis. Hæc Hieronymus.

18. Iudaicas sanè fabulas quas Petrus Galatinus lib. 5. cap. 12. recitat,  
de decem tribubus intra montana Caspia conclusis irrisione dignas  
censemus, ut etiam vanum arbitramur, quod in definienda mille an-  
norum post resurrectionem in terra consumendorum periodo olim  
Chiliasitæ nec non etiam Lactantius libr. 7. cap. 25. 26. & Papias Io-  
hannis Evangelistæ auditor, Polycarpi Smyrnesium Episcopi Soda-  
lis, ut est apud Eusebium lib. 3. hist. cap. 36. nimium desudarunt. In-  
terim vero Hieronymi pace liceat nobis potius τὸ ἔκτὸν σὲς γὰρ, quam  
allegorias, quarum nullæ ab ipso sufficientes adducuntur rationes,  
amplecti.

19. Ambrosius qui sub Theodosio & Gratiano circa annum Christi  
CCC LV. Medionalensium fuit Episcopus, vaticinium de Gogo &  
Magogo ad sua refert tempora. Cum enim eo tempore Gothi fines  
Romani Imperij invaderent, & Italiam quoq; quibusdam in locis va-  
starent. Episcopus Mediolanensis Gratianum imperatorem ad expe-  
ditionem contra gentem barbaram ita cohortatus est, lib. 2. de fide  
cap.



cap. ult: Neq; vero te, inquit, Imperator pluribus tenere debeo, bello intentum & victricia de barbaris trophæa meditantem. Progredere plane scuto fidei septus, & gladium Spiritus habens, progredere ad victoriâ superioribus promissam temporibus & divinis oraculis prophetatam. Namque & futuram nostri depopulationem & bella Gothorum Ezechiel illo jam tempore prophetavit: Gog iste Gothus est, quem jam videmus exisse, de quo promittitur nobis victoria. Hæc Ambrosius.

20. Quem secutus est Proclus Episcopus Constantinopolitanus. *Procli sententia de Gogo.*  
Cum enim Iohannes quidam Honorio Imperatore mortuo Tyrannidem affectaret & Imperij Romani fines ipsamque Romam crudeliter invaderet. Theodosius Imperator Deum assiduis precibus rogavit, ut ferociam seditiosi militis compesceret, id quod etiam impetravit. Quandoquidē Aspar Ardaburij generosissimi Ducis filius angeli ductu per invia stagna Ravennam pervenit, suoque patre, quem Iohannes captivum tenebat, liberato, tyrannum occidit, ut testatur Socrates lib. 7. cap. 23. Eadem tempestate Proclus Episcopus prophetiam præsentem ex Ezechiele petitam in Ecclesia docuit eamque præclare ad salutem jam tum Romanis à Deo datam, non sine magna omnium commendatione accommodavit, ut autores sunt idem Socrates lib. 7. cap. 42. & Niceph. lib. 14. cap. 38.

21. Etsi autem non negamus ita posse vaticinium exponi, ea videlicet docendi ratione, qua alioquin vel ea quæ narrantur de præteritis, vel quæ prænunciantur de futuris, ab hypothese transferimus ad thesina, singularia ad universales doctrinæ locos: Siquidem eadem res, mutatis temporibus, personis, locis, subinde recurrunt.

22. Tamen si Tropologijs & allegorijs hic locus esse deberet, quorsum quæso fieret mentio plagæ septentrionalis, unde prædator iste exercitus erumpet? quorsum clypei, acinaces, arcus, tela, gladij & reliqua eius generis arma corporalia, quæ etiam septenni igni alendo materiam suppeditatura sunt, producerentur, & quid denique auxiliatores copiarum Persarum, Æthiopum, Lybiorum sibi vellent, quid pestis, fulmina, coedes, quibus hostes populi Dei perimuntur, tandemque in valle Geh Hamon Magog, sepeliuntur?

23. Ambrosio & proclo obstat iterum τὸ ἔντομον, quod non ad quævis tempora, sed ad novissimum mundi articulum hanc persecutionē refert. Obstat etiam experientia, quæ nullam hæctenus ab edita prophetia tam insignem Christianorum ab hostibus reportatā victoriam





commemorat: Obstat deniq; explicatio à Iohanne in Apocalypsi tradita, quæ diserte docet Gogum & Magogum post exortum è tenebris regni Papalis Evangelium proxime ante reditum Christi ad iudicium extremum in Ecclesiam Evangelicam impressione facturum, & è vestigio ultimum iudicium consecuturum.

24. Ex quibus etiam apparet Lactantij opinionem de hoc tyranno subsistere non posse. Nam Lactantius censet exacta à condito mundo sex mille annorum periodo cælum & terram divinitus renovatum iri, Deumq; Hierosolymam urbem in his terris ædificaturum, & suo populo regnum septimo millenario concessurum, expletis autem septies mille annis demum venturum Antichristum & Gogum ac Magogum oppugnaturum Hierosolymam. lib. 7. cap. 24. & 26.

25. Nec illorum sententia sibi constat, qui expeditionem, Gogi & Magogi de prælio diabolorum contra Michaelem Archangelum in cælis gesto Apoc. 12. exponunt, quos Hieronymus refellit loco indicato.

26. Eusebij vero ratio, qua adducitur, ut Gogum & Magogum de Romanorum imperio exponat, lib. 9. ἀποδὲ ἐνεργ: cap. 3. nullius momenti est, Nititur enim Sphalmate typographico: Siquidè in varicinio Bileami Num. 24. ubi mentio fit Agagi regis Amalecitarum, quem Saul cœpit 1. Sam. 15. legit ille pro Agago Gogum, & inde colligit, Romanum ibi notari imperium, quia id Christo exhibito exaltatum est.

27. Sed has omnes opiniones refellit Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 11. ita de hoc loco scribit: Hæc erit novissima persecutio, novissimo imminente iudicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur: Univerfa scilicet civitas Christi ab universa Diaboli civitate quantacunq; erit utraq; super terram. Gentes quippe istæ, quas appellat Gog & Magog, non sic sunt accipienda tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti, sive quos quidam suspicantur Getas & Massagetas propter literas horum nominum primas, sive aliquos alios alienigenas, & à Romano jure sejunctos, Toto nãq; orbe terrarum significati sunt isti esse, cum dictum est, nationes, quæ sunt in quatuor angulis terræ, easq; subjecit esse Gog & Magog. Hactenus Augustinus.

28. Nos igitur omisis aliorum vel allegoricis vel anagogicis explanationibus simpliciter ex ipsius prophetiæ circumstantijs colligimus cum Reverendo patre & præceptore D. Lutero per Gogum & Magogum



gogum notari Mahumetanum Tyrannū & Antichristum orientalem totamq; Turcicam ac Muselmannam colluviem, quæ Ecclesiã Christi ultra mille jam annos vastavit.

29. Neve videamur opinionem ingenio humano argute excogitam tradere, quod multis familiare est, ut extra scripturas sententiam comminiscantur & scripturas (velint nolint) eo detorqueant: ideo rationes omni dubitatione potiores ex ipso vaticinio eliciemus.

30. Et primo spiritus sanctus appellatione Gogi & Magogi gentem Turcicam ostendere voluit. Nam ex genealogia Principum & Sultanorum Turcicorum ab ipsis Turcis perscripta, perspicuum est, quod gentem suam à Iapheto Noæ filio deducât. Sic enim numerant à Noa per filios & nepotes descendendo principum suorum familiam Noah, Iaphet, Bulchas, Diptacoi, Lechrek, Cutluzak, Karachan, Oguz. Autor Leunclavius libr. 2. historię Muselmannæ, & in annalibus Sultan: fol. 185. Licet dubium non sit multos in hac serie præteritos.

31. Ab hoc Oguce descendit GioKelp, vel (ut variant Dialecti) Gog-Elp & Gog-Chan vocatus, multiq; deinde Principes qui appellationem Gog & Og, seu Oguza cognominem habuerunt.

32. Inde vero Osmanidarum origo est, ut Turcicorum Tyrannorum continua series usq; ad præsentem Machometum, qui anno superiore fratrum suorum ex eadem genealogia oriundorum clade regni sui auspicia inauguravit.

33. Hoc itaque est quod Spiritus sanctus per Ezechielem de familia Goguzia dicit, quod sit Nefchi Rosch, hoc est, elevatum & sublime caput seu princeps in Mesech & Thubal. Quandoquidem hæc familia in regno Mahumetano, oppressis omnibus alijs familijs, sola, caput extulit & principatum obtinuit, & hujus familiæ ductu bellum, de quo nunc agimus, geritur.

34. Deinde habitus & ornatus barbarici istius exercitus adeo depingitur, ut ex ungue facile sit leonem agnoscere. Primo enim de eo dicit Spiritus sanctus, quod sint mielot Küllam, hoc est, probe ornati, & instructi omnes. Deinde quod rei equestris sint peritissimi: & denique quod tribus generibus armorum utantur, clypeis, arcibus & acinace. Iam verò nulla gens sub sole Christianis quidem adversa est, quæ adeo sit in omni re militare instructa, quæq; ejus formæ & generis, ut hic describuntur, arma gestet, quam colluvies Mahumetana.

35. Quandoquidem constat Turcicum Tyrannum in græcia solummodo expeditorum equitum 40000. semper in procinctu habere, & totidem



*Mesech  
Moscovi-  
tae.*

*Thubal  
Tartari.*

*Turce quo  
modo ex  
septentrio-  
nali plaga  
Asiam in-  
vaserint.*

totidem in Natolia seu Asia, gubernatorem item Modini, Bosnæ, Sa-  
lonici & reliquos Turcarum capitaneos innumerabilem cogere, quo-  
ties opus fuerit exercitum, Lonicerus tomo primo Turcicæ historiae,

36. Tertio ait Propheta Gog & Magog esse Principem in Mesech  
& Thubal. Mesech autem Scytharum gens est, quam antiqui Mosco-  
noecos seu Moschinæcos nuncuparunt, ut apud Strabonem lib. 12.  
geogr. & Xenophont. lib. 5, de expeditione Cyri videre est, nos pau-  
lulum mutato nomine Moscovitas vocamus, à Mosoch filio Iapheti  
descendentes Gen. 10, Thubal verò Tartaros qui & ipsi Scythæ sunt,  
designat. Siquidem à Thubale altero Iapheti filio derivantur. Nec ob-  
stat quod Iosephus per Thubal Hispanos seu Iberos intelligit: Pos-  
sunt enim ab eodem patre duæ vel plures nationes ortum trahere.

37. Testis est Iosephus linguæ hebrææ juxta & græcæ peritissimus,  
Magogas in sacris literis Scythas vocitari, qui ultra Caucasum mone-  
tem juxta Mæotidem paludem incolant, omnemq; tractum Septen-  
trionalem usque ad mare Caspium seu Hircanum occupent lib. 1, an-  
tiquit. cap. 7. Hier. in 38. Ezech. & Methodius.

38. Quod autem inter Scythas Turcæ haud postremi sint testibus  
Mela lib. 1. cap. ult. Plinio lib. 6. cap. 7. & Ptolomæo constat.

39. Hi una cum Armenijs & Russis, qui & ipsi de gente Scytharum  
numerantur, cum alias tum maxime circa annum Christi 1202. vel  
quod patriæ sterilitatē exosi, & Asiæ amænitate capti, vel etiam quod  
à Sarracenorum principibus, altero quidem Maugineto, altero autem  
Imbraële, intestinis prælijs de rerum summa dimicantibus allekti es-  
sent, incredibili exercitu in Asiam infusi, Sarracenorum potentiam  
subegerunt, stirpem Mahumeticam suppresserunt, Ogugiæ seu Ogu-  
ziæ familiæ, quæ Osmanidarum seu Ottomanorum stirps est, origi-  
nem dederunt: Sicut uno ore omnes perhibent historici verbi gratia,  
Leunclavius lib. 2. hist. Muselman, Lonicerus Tom. 1. annal. Turc.  
Philippus Melanth. lib. 4. Chronic. Christoph. Richerius ex Blon-  
do, Othone Frisingensi, Martino Sigonio, Antonio Sabellico, Zona-  
ra, Cilice græco & alij.

40. Quarta ratio hæc est, Gog & Magog in suo exercitu ducit Per-  
sas, Ethiopas & Lybias seu Africanos, ut ait Propheta. tam vero non  
modo ex istis gentibus Turcica Tyrannis confluit, sed nullus hodie  
est Rex & Princeps Christiano nomini infensus cujus ditioni populi  
isti subiecti sint, quiq; ex illis exercitū conscribere possit, præter Sul-  
tanum Mahumeticum, de quo constat, quod Modini Æthiopiæ ur-  
be



be præfectum, cum mille equitibus ad prælium perpetuo paratis habeat, qui Merabegi dictus, toti præest Æthiopiæ. Cumq; Persiam subinde incursionibus depopuletur, habet quoque in exercitu suo Persarum plurimos: Vnde liquet per Gog & Magog Turcas intelligi.

41. Quinta ratio sic habet: Dan. cap. 7. vaticinatur de bestia decemcorni, quæ Romanum denotat imperium & ultimam Monarchiam.

42. Quicquid etiam ogganniat Bodinus cui Hispaniæ Galliaeq; potior est φιλαυτία, quam oraculi divini clarissima assertio.

*Bodini opinio falsa de quinta Monarchia vel Hispanorū vel Turcarum.*

43. Falsum enim supponit, quod vel summa potentia vel dittonis & provinciarum amplitudo Monarchiam constituat, cum Monarchia sit, quem Deus eo loco esse iussit, & qui honestis legibus Rempublicam gubernat: Vnde certe sequitur Gallos & Hispanos (cum Romanis utantur legibus, nec contra Romani à Gallis aut Hispanis leges acceperint) ad Romanam pertinere Monarchiam, Turcam Tyrannū non monarcham esse.

44. Summā enim fore istius Tyranni potentiam, ipse Angelus Danieli jam olim prædixit, cum ait: Cornua decem ipsius regni decem reges erunt, & alius consurget post eos & ipse potērior erit prioribus, & tres reges humiliabit, Græciam nimirum, Asiam & Ægyptum.

45. Quatuor autem & non plures fore Monarchias id in Daniele duabus imaginibus earumq; tam perspicua explicatione traditum est, ut mirum sit hominem Christianum altercandi licentia de eo ambigere posse.

46. Quemadmodum etiam conditio quartæ Monarchiæ mistione illa ferri & luti cap. 2. Dan. usq; adeo expressa est, ut imbecillitas & tenuitas non adimat Germania, sed potius transcribat Monarchiæ quartæ titulum.

47. Sed redeo ad priscam illam Romani imperij formam, quæ Dan. 7. describitur: in ea igitur singula cornua singula designant regna, quæ Romani imperij potestas suo ambitu complexa est.

48. E medio autem decem cornuum oritur cornu exile, quod sua velocitate & robore primaria tria cornua dejicit, instructumq; est illud oculis humanis & ore blasphemio.

49. Per corniculum istud Turcicam describi Tyrannidem dubium non est, siquidem omnes circumstantiæ vaticinio conveniunt.

*Corniculū apud Daniēlem denotat Turcam.*

50. Nam si initium spectes, ortum est Mahumetanū regnum quæta Monarchia jam paulatim fatifcente & ruinam minitante, Et quod mixeris Diabolus Heraclio & mox Phoca Imperante, uno partu gemellos

B

mellos





mellos peperit, Mahumetem videlicet in Arabia & Gregorium magnum purgatorij nec non Bonifacium III. Pontificij primatus autorem in Italia.

51. Si locum quæras ex ipsis imperij visceribus virulentissimū hoc Romanæ Reipublicæ ulcus emerit, ut ex eodem cranio, unde decem cornua prominent, istud quoq; ἀντικεράλιον seminatum sit.

52. Et nonne exiguo tēporis intervallo Mahumetes non modo Macha, quæ ipsius patria erat, sed potissima Arabiæ parte potitus est? nonne ejus successores potentiam suæ Tyrannidis, quam credi possit, citius longissimè protulerunt, usq; dum insignia tria cornua, Asiam videlicet, Ægyptum & Græciam capiti Romano detruncarunt.

53. Os si attendas nihil certe unquam in sanctā Trinitatem, in Iesum Christum Dei filium, in omnes deniq; fidei articulos Diabolos & infernales fauces ab exordio mundi evomuerunt, quod non in Alcorani sentinam & foricā confluerit. Vnde recte sentit Richardus & Cusanus, omnium hæresium excrementa in Alcoranum congesta esse.

54. Hinc liquet exiguum illud cornu Turcam denotare. Iam verò Danielis Prophetia cum præsentē Ezechielis vaticinio ad unguē convenit, sive originem, sive tempus, sive locum, sive potentiā, ferociam, blasphemiam hostis consideres. Nam quod Daniel dicit, oriturum illud corniculum sub exitum quartæ Monarchiæ proxime ante novissimum diem, idem de Gogo pronunciat hic Ezechiel, quod ille postremus Ecclesiæ futurus sit hostis in novissimis mundi temporibus. Eademq; est reliquarum circumstantiarum ratio.

55. Quintum argumentū suppeditat infallibilis notatio loci, in quo oriturus est Gog, de quo sic scribit Ezechiel, quod ex Septentrionali plaga sit venturus Gomer & universa agmina ejus, domus Thogarmata latera Aquilonis, & totum robur ejus, & porro Dedan & Mercatores, qui maritimas urbes incolunt, quique navibus utuntur, gratulandi dicturi sint à Gog: profecto venisti ad diripiendam prædam.

*Gomer.* 56. Gomer filius est Iaperi Genes. 10. à quo Cimmericos & Cimbros dictos esse ex Herodoti Melpomene consentaneum est, ut & Strabo lib. 7. ad stipulari videtur, unde per Gomerum gentes septentrionales barbaras denotari non est dubium.

*Thogarmata.* 57. Quemadmodum etiam Thogarma filius est Gomer Gen. 10. quæ & ipse Aquilonaribus populis originē dedit, ut ex hoc & antecedente capite Ezechielis apparet. Gomeritis autem & Thogarmæis adjungunt hoc loco in Gogi exercitu Proclus apud Socratem lib. 7. cap. 4. 2. &



& apud Nicephorum lib. 14. cap. 38. nec non Eusebius lib. 9. demonstrationis Evang. cap. 3. Rosch, per quam gentem Russos intelligunt. Legunt enim vocabulum hebræum Rosch quasi gentile esset, cum sit appellativum & caput seu primum principem noter.

58. Dedan urbs erat Edomitarum Arabiae vicina, quæ id nomen vel à Dedane Noæ nepote Gen. 10. vel Arabiae nepote ex Chetura Gen. 25. sortita est. *Dedan.*

59. Sicut etiam in Syria Arabiae vicina fuisse urbem Magogam, quæ græco nomine Hierapolis dicta fuit autor est Plin. lib. 5. cap. 23.

60. Mahumetem verò in agro urbis Mechæ, quæ erat Arabiae Metropolis, patre Abdela, matre Emina natum tempore Mauritij Imperatoris Anno Christi 560. historici annotarunt.

61. Sicut etiam incredibili fortunarum ipsius incrementum observarunt, quod nimirum à Camelorum gregibus, in urbem pervenerit, mox ex servo liber & mercator, ex mercatore principis gener, indeq; Dux & Princeps factus sit. *Brevis narratio de ortu et vita Mahumeti.*

62. Cum enim Abdimonepli hero & ditissimo Mercatori industriam suam probasset, manu ab eo missus, & mox eo defuncto, heram quinquagenariam anuum, hæredem ex asse omnium mariti bonorum uxorem nactus est.

63. Divitijs auctus Bubaci Principis Arabiae filiam, post vetulæ obitum haud difficulter obtinuit.

64. Opibus itaq; & auctoritate instructus exercitum latrunculorum conscripsit, & Mecham, licet infeliciter, oppugnare cœpit.

65. Sed mox, cum Arabes, qui sub Heraclij signis adversus Cosroen Persarum regem militaverant, ob iniquum Quæstoris responsum ab Imperatore defecissent, & Mahumetem elegissent principem, majoribus copijs Mecham aggressus oppugnavit totiusque Arabiae principatum occupavit.

66. Inde successores ejus Tyrannidis suæ terminos longissime per Asiam protulerunt, & populos septentrionales, utpote Cimbros, Scythas, Sauromatas, Moschos, Tartaros, qui olim Turcorum seu Iurcorum vel Zurcorum, id est, nomadum appellatione veniebant, & à filijs Iapheti Gomor, Magog, Thubal, Mosoch nec non nepote Thogarma sati erant, imprimisq; Idumæos, qui ruffi Iudæi dicebantur, sibi adjunxerunt. Galatino teste lib. 4. c. 28. & Methodio.

67. Quæ omnia declarant Mahumetem quidem in Arabia ortum, ut prædixit Ezechiel, potentiã vero ex septentrione adeptum esse, ut





idem vaticinatur. Itaq; ex septentrione Turcicã venisse bestiam, juxta Ezechielis prædictionem luce meridiana clarius est.

68. Sextum argumentum sumitur à studijs & institutis istius exercitus, qui hic describitur. Nam Ezechiel ait: Gogo acclamaturos Arabas, quod vere sit deprædator & depopulator. Quæ verò gens unquam atrocitatis & depopulationibus regionum everlionibus rerum-publicarum æque dedita fuit ut Turcica?

69. Septimum præbet interitus. Daniel scribit Turcicam tyrannidẽ vel paulo ante extremum judicium, vel una cum universali mundi conflagratione interituram, & Ioh. in Apoc. 20. ait, Gogum igne cœlitus dejecto consumptũ iri: Idem vero de Gogo hic asserit Ezechiel, tum quod ad tempus tum quod ad modum interitus pertinet. Unde liquet quod Gog iste Ezechielis idem sit hostis cum eo, quem Daniel & Iohannes describunt, & cum illi Turcam intelligant, patet, quod nemo hic alius accipiendus sit.

70. Postremum & omnium evidentissimum argumentum suppeditat interpretatio vaticinij de Magog tradita à Iohanne Apocal. 20. Ponit enim Iohannes notas evidentissimas, è quibus Turca potest agnosci: primo ait venturum hunc hostem in prælium, postquam meretricis Babilonicæ scortationes & scelera manifesta facta fuerint, eiusque in Christianos incursionem è vestigio consummationem seculi obsecuturam.

71. Deinde addit diabolus in perniciem Ecclesie concitaturũ gentes, quæ in quatuor terræ partibus & Angulis habitant. Turcas vero non modo exercitum suæ gentis ducere, sed ex vicis & in potestatem suam redactis Ungaris, Italis, Germanis, Gallis, Hispanis, Persis, Sarmatis, licet reluctantibus copias suas augere experientia testatur.

72. Deinde invasurum illum Ecclesiam, quæ castra Dei nominatur, eo quod in hac vita sub vexillo Christi militat.

73. Atqui hæc omnia Turcico tyranno ita competere, ut nulli alteri, tam est perspicuum, quam lux ista diurna.

74. Ex his itaq; rationibus constat Gogum & Magogum vere esse Turcam, ita ut divinatione hic nulla opus sit, ex Sibyllæ deducta folijs, quæ tamen ipsa, ut Lactantius annotavit, nobiscum adeo consentiunt, ut Sibyllinorum versuum autorem ab Ezechiele suam prædictionem mutuatum esse verosimile habeatur, Bibliander Serm. 3. Sibyllini codicis.

75. Quapropter etiam figmentum Diaboli, quo evidentiam hujus divini



divini oraculi eludere conatus est, constanter reprimere possumus.  
Nam Diabolus in Alcorano Azōara 31. tradit per Gog & Magog, de *Figmētum*  
cem tribus Israelitarum intelligi, quos Alexander Magnus intra Tau- *Alcorani-*  
rum & Caspios montes conclusit, ut inde egredi nequeant, donec *de Gogo.*  
Messias, quem Iudæi frustra expectant, illas liberaturus sit.

76. Idemq; somnium de Gog & Magog Iudeorum Rabini exoscu-  
lantur, inque Thalmudicis libris approbant, de qua re Petrus Galati-  
nus lib. 5. cap. 12. & Hieron. Ezech. 38.

77. Et ut noris eundem, qui in Iudæis & Antichristo Orientali do-  
minatur, esse quoq; Antichristi Romani autorem, ideo eandem fabu-  
lam ejusdem Spiritus instinctu pontificij quoque in compendio Theo-  
logicae veritatis lib. 7. cap. 11. & alibi inculcant. Et Bellarminus Ie-  
suitarum Antesignanus Controversia tertia lib. 3. cap. 17. contendit  
Gogum & Magogum non esse Turcam, sed Antichristum. Per Anti-  
christum autem intelligit singularem quendam hominem, qui novis-  
simo demum ultimi temporis articulo Ecclesiam oppugnaturus sit.  
Monstrum videlicet illud, quod nascetur in Babylonia de tribu Dan,  
sicut dicit glossa super Apocalypsin, & compendium Theologicae va-  
nitatis lib. 7. cap. 7. & Haymo super Apocalypsin.

78. Quod quidē commentum haud aliam ob causam à Diabolo re-  
pertum est, quam ut meridianæ luci, quæ in Ezechiele & Iohanne  
fulget, tenebras obfunderet, & Turcorum juxta ac pontificiorū ocu-  
los adeo perstringeret, ut seipsos non agnoscerent, & seipsos extra  
semetipsos quaerent. Ita enim moris est patri mendaciorum, ut va-  
ticia Spiritus sancti, quæ in præsens tempus incidunt, vel in præte-  
ritum rejiciat, vel in futurum extrahat, vel ultra Garamantas & In-  
dos ablegat, & homines in securitate magis magisq; confirmet.

79. Interim verò illud quoque observandum, non absq; re factum,  
quod Spiritus sanctus horrendum hunc hostem peregrinis & ignotis  
introducere voluit nominibus. Quia enim in Christiano orbe Dei  
nomen, & verbum, quod apud nos notissimum esse debet, ignoran-  
tiæ & hæresium nebulis obscuratum est: Ideo juxta talionis legem  
Lucæ 6. Sap. 11. Deus nobis quoque hostem immitrit, cujus nomen,  
& linguam non percipere & intelligere possumus, ut apud Esa. 33. &  
Ierem. 5. ipse minatur.

Quæstio III, quis Turcam Christianis immissurus,



80. Gogum & Magogum esse Turcos demonstratum est. Iam itaq; ulterius sciendum, unde hic hostis Ecclesiae imitatur.

81. Atq; hic accurate distinguendum est inter id, quod Mahumetani & per ipsos, inque ipsis Diabolus agit, & inter Dei permissionem tyrannidilq; usurpationem.

82. Odium quidem Christiani nominis, quae Principalis causa est, ob quam Turci nos persequuntur, à Diabolo illis instillatum, minime vero à Deo ortum est Psal. 5. sicut Ioh. Apoc. 20, diserte affirmat Diabolum seducturum gentes Gog & Magog.

83. Deus autem ob varia peccata permittit immanissimo Tyranno ut Christianam orbem invadat, & sicut olim in populum suum Philistinos, Cananaeos, Midianitas, Moabitas, Syros, Assyrios sua nativa malitia Iudaeis infestos adduxit, ita hodie Turca flagellum Dei est, qui nos castigat, Ebr. 12. 1. Pet. 4. Ezech. 9. Esa. 45 & 7.

84. Et quia Dei permissio non est otiosa sed hostibus sui nominis metas constituit, ideo licet Turci sua crudelitate & Diaboli instinctu extimulati vehementer saeviant, nihil tamen absq; Dei concessione efficere possunt, sicut per Prophetam dicit Deus ad Gogum ipse. Ecce ego ad te Gog, principem capitis Mesech, circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis, & educam te, & omnem exercitum tuum.

85. Quae verba minime de malo culpae, quasi Deus blasphemias & reliqua scelera Mahumetistarum vel probet vel adjuvet, sed de malo poenae, quod Deus Turcarum ferocia ad castigationem sui populi utitur, intelligenda sunt. Absit enim ut P. Martyris blasphemam vocem approbemus, qui capite tertio Iudicum scribit, Deum impios homines ad suas pravas actiones incitare, seducere, tradere, jubere, & quae peccata gravia sunt, efficere.

86. Nos contra haec divinae permissioni tribuimus, sed quomodo divina permissio habeat, pulcerrime explicat Augustinus in praefat. Psal. 19. cum ita scribit: non quicquid ab inimicis passi fuerimus, inimicis deputandum est, & non Domino Deo nostro.

87. Et rationem ac explicationem subjungit: unusquisq; enim malus apud se habet voluntatem nocendi, ut autem possit nocere, non habet in potestate: Ut velit, iam reus est, ut possit occulta dispensatione providentiae Dei, 1. in alium permittitur ad poenam, 2. in alium permittitur ad probationem, 3. in alium permittitur ad coronam.

88. Exemplum Christi id comprobat, qui, cum Pilatus superbè dixisset, an nescis, me potestatem habere te demittendi & crucifigendi, respon-



respondit, non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi desuper data esset, Ioh. 19.

89. Et pulcherrime exemplum Iobi, de quo iterum Augustinus ita docet: Diabolus occiderat filios ipsius, Diabolus tulerat omnem substantiam ipsius, & ille quid est Dominus dedit, Dominus abstulit &c. Non triumphet inimicus, quod ipse fecerit: novi ego, inquit, a quo sit permissus, Diabolo tribuatur nocendi voluntas, Domino meo probandi potestas. Hæc Augustinus.

90. Ac licet hæc actio, quæ ad gubernationem Ecclesiæ pertinet toti Trinitati communis sit, tamen in Apoc. 19. speciatim Filio Dei  $\lambda\omicron\gamma\omega$  attribuitur.

91. Apparet enim Iohanni albus equus, & qui insidet ei, vocatur fidelis & verax, &  $\lambda\omicron\gamma\omega$  Dei, qui in iustitia utrumque exequitur, quod nimirum iudicat & punit peccata Christianorum, & simul etiam bellum pro illis gerit.

92. Itaque Christus etiam secundum humanam naturam, qua noster frater est, non modo in Ecclesia obambulat Apocal. 1. Matth. 18. 28. Sed etiam in medio inimicorum suorum dominatur Psal. 110. quod olim Iosue ostensum fuit, Ios. 5.

93. Et licet ferocientes istos Mahumetanos Equos non ilico ferreo iuo sceptro contundat, Psal. 2. freno tamen suæ divinæ omnipotentis maxillas illorum cohibet: quod etiam Assyrio Tyranno factum est, Esa. 10. & 37. 2. Reg. 19.

94. Quæ res consolationem nobis summè necessariam in ista tam horrenda persecutione suppeditat, quod Iesus Christus nihilominus suam Ecclesiam sibi conservare velit, licet fractus illabatur orbis: ut iucundissimæ imagines Ezech. 9. Apocalyp. 7. divinaque promissio Eliæ edita, 1. Reg. 11. & similes Esa. 1. & 10. Rom. 9. Psal. 46. ostendant.

95. Et simul etiam monet, ne scælici Tyrannidis & latrociniis, successu permoti Mahumetanis blasphemis in Alcorano perscriptis, fidem habeamus. Licet enim Turcæ verè sint flagellum Dei ad puniendam nostram peccata, sicut etiam Tamerlanes olim se zelum Dei & Furiam orbi immissam, nuncupabat. *Tamerlanes flagellum Dei.*

96. Quod ipsum Mahumetes literis ad Romanum Imperatorem perscriptis, & quatuor constitutis de gente sua principibus, e in quatuor orbis plagas egrederentur, seq. gladios Dei nominare tendit.

97. Cumque Arabes novi dogmatis per miracula confirmationem ab



ab illo postularent, alios Prophetas, respondit, miraculis claruisse, sibi gladium ad stabiliendam suam legem datum esse: Lonicer, Chalco. cond. & alij.

98. Revera tamen à Diabolo in perniciem Ecclesiæ concitatus est. Ac p̄inde concidit illud alioquin speciosum argumentum, quod Muselmanni contra Christianos jactitant, cum ajunt; Deus patitur tot gentes & populos à Christiana fide arripi & ad legē Mahumetis compelli, nec ultricem manum tanto tempore in nos extendit, sed potius nostrum imperium in præsentem usque diem adauxit. Si Christus est Deus illiq; Mahumetes adversus, cur se à Mahomete superari patitur. Vera igitur (inquiunt Sarraceni) fides nostra est, Christianorum falsa.

99. Quibus hæc brevissima sufficit responsio, quòd ex eventu & successu rerum externarum non liceat argumentum ducere ad religionem confirmandam: alioquin Caini hypocrisis pietati Abelis atq; Pharisæorum superstitio Christi doctrinæ anteponenda foret. Nam Deus impios plerunq; bonis corporalibus in hac vita saginat, ut postea in æterna vita torqueantur. Psal. 73. Jerem. 12. quod in exemplo Pharaonis, Sennacheribi, Saulis, Hieroboami, Achabi, Herodis, & Epulonis Luc. 16. apparet.

100. Crux verò & calamitas à domo Dei incipit, 1. Pet. 4. & Deus castigat omnē filium, quem diligit. Et nimis profectò maturè triumphant Agareni, cum non debeant ignorare, quàm tragicus illos maneat interitus, & æterna tandem damnatio, de qua suo loco dicendum erit.

F I N I S.





Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatione contra Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd sit Gog Magog, Babil, Mesob. 2. qd per vocab. Turca significantur  
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in quā tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad locū dōm ubi ista evenient. 3. Cuias ob cuias Turca Christianis immittat. 4. Cuiā ratione sit repri. mēdō. 5. Quo pacto et qbz armis tandem mediantibus fuerint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatione D. FREDERI.

Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Christi, M. Bernades.

Dis. de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.


Them. Theologica de orali corporis Christi in cenā manducatione dictis Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.









DISPUTATIO PRIMA  
DE TURCA, EX CAPITULO  
38. & 39. EZECHIELIS, IN QUAE  
explicantur quaestiones tres.

36

- I. Quid sibi velint ignota vocabula Gog, Magog, Thubal, Mesech,
- II. Quod per Gog & Magog significantur Turca,
- III. Quod Turca sint flagellum, quo Deus castigat Ecclesiam.

De quibus praeside

SALOMONE GESNERO, S. THEOLOGIAE D. & Professore in Academia VVitebergensi ad V. septembris hora septima matutina, Anno 1595. loco publicis disputationibus usitato respondebit.

M. HERMANNUS WOLFIVS  
Lubecensis.



WITEBERGAE,  
Typis M. Georgij Mulleri.  
Ano M. D. XCVI.

